Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26271
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ministrari. ac nos optimi illius qui nobis ista sit largitus exemplo perfuncti in nos bonitatis eius esse emulos oportere: ut boni omnibus simus. communia omnibus omnia existimemus. Nulla nos nec seculi fastus. insolentia. nec opum cupiditas. nec inanis glorie ambitio corrumpat. sed subiecti deo simus et de communione vivendi in omnes communis vite caritate teneamur: Magnum etiam in eo quod nati sumus divine bonitatis futurum profectum existimantes cuius premium atque honores presentis vite operibus sit merendus. atque ita per hanc spiritus humilitatem qua de deo nobis meminerimus. et induta omnia. et deinceps potiora speranda celorum regnum erit nostrum.

xxvi. [marginal note: Secunda [illegible] ... crudelitatem]

BEATI MITES quoniam ipsi hereditabunt terram. Mitibus terre hereditatem pollicetur. idem eius corporis quo ipse dominus assumpsit habitaculum. quia per mansuetudinem mentis nostre habitaverit christus in nobis. nos quoque gloria claritatis eius corporis vestiemur.

xxvii. [marginal note: iii. spiritale luctu et eterna [illegible] ... luxum et leticiam]

BEATI LUGENTES quoniam ipsi consolabuntur. Lugentibus eterne consolationis solatia repromittit. non orbitates aut contumelias aut dampna merentibus. sed peccata vetera flentibus et criminum quibus obsordescimus conscientia extimescentibus [?] hec sedula in celo consolatio preparatur:

xxviii. [marginal note: iiii. Amorem iusticie ... cupiditatem pravam]

BEATI qui esuriunt et sitiunt iusticiam. quoniam ipsi saturabuntur: Sitientibus et esurientibus iusticiam beatitudinem tribuit. significans extensam in deum doctrinam